

vimus; cœvi nostrates evanescent unus post alterum; nos infelices socii etiamnùm restamus, sed brevî. Antè octiduum correptus fui tritæâ malignâ sæpius petechizante, quæ Upsaliæ hoc autumno eripuit cives tantùm non innumeros; ego debilis, nec tam atroci morbo par, sumpsi consilium in arenâ, et utî in peste funestissimâ sudorevè anglico assumpsi mox sudoriferum, et sudabam per 10 horas, nihilque assumpsi nisi aquam fontanam, calore æstivo gaudentem; post 24 horas discessit cephalalgia, et sudor acidus sentiebatur, et febris discedebat in totum; sed corpus valdè erat debile, necdùm ritè vires recuperavi.

Gerardi pulcherrimam *Floram* accepi, et attentè legi multo cum fructu. Felix ille potuit in tam felici climate, multis peregrinationibus egregiè illustrare obscurissimas antea plantas. Hausi instar apis ex ejus floribus dulcissima mella, nec more vesparum ulla venena. Non quæsivi errores, sed augmenta botanices, quamvis faciliè crederem nulli mortalium contingere esse immunem ab omni errore. Virum optimum amo itaque et colo ob præstita in re herbariâ facinora non levidensia; quòd verò ego ipsi displiceam, non est penès me, sed dependet à stupido ingenio; qui optâssem maximè instructum fuisse feliciori Minervâ; sed ego mei ipsius author non sum. Vidit ille lynceus